

GORGIAE PLATONIS.

sua vtrique est vt prospera, ita aegra valetudo; sunt etiam, quibus efficitur, vt tum corpus, tum anima valeat, aut valere tantum videatur; quae animae conciliat valetudinem ars, doctrina ciuilis est; medicina et gymnastica circa corpus versantur. Harum speciem sibi arrogat adulandi, non ars, sed facultas, experiundo comparata, certas non agnoscens regulas: quae efficit, vt anima et corpus videantur tantum valere; coqui enim et qui fucum illinunt, iucunditatem vnice respicientes, hac deliniunt homines, corporibusque nocent; eodem modo Sophistae et oratores aggrediuntur animam verborum ac ratiociniorum blanditiis, vtilitatem ac animorum emendationem insuper habentes, nullaque ob haec estimatione digni. Vere haec de arte dicendi, qualis rum temporis erat, a Socrate dicuntur: demagogi namque, se modo respicientes, pecuniaeque vndecunque corradendae intenti, vtilitatem publicam parum curabant, virosque patriae amantes capite damnari, aut in exilium eiici, omni virium contentione studebant. Vt autem refelleretur Socrates; non esse eam semper talem, sed maximas, si recte adhibeatur, posse vtilitates afferre; esse insuper, cum naturae humanae imbecillitas, vt nudis semper gubernemur ratiociniis, non patiatur, cumque delectus verborum et compositio magnam habeat ad animos vim, maxime necessariam, aliaque his affinia erant afferenda.

Haec omnia non animaduertens Polus, nullamque aliam praeter suae aetatis oratorum, artem dicendi agnoscens, leuia quaedam opponit, nulloque a Socrate negotio superatur. Quod enim plurimum in ciuitatibus posse oratores affirmat, id negatur, cum potentia, nisi habenti sit vtilis, in bonis non habeatur, sitque reuera